



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

12. Cognitio & amor sanctitatis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)



PASSUS XII.

Cognitio & Dilectio Sancti-  
tatis DEI.

TEXTUS.

*Sanctus, Sanctus, Sanctus, Do-  
minus Deus Sabaoth. Isaiaë  
c. 6. 3.*

*Cognitio.*

I. **D**omine Deus meus, Tu Sanctus dice-  
ris, quia in Te uno habes omne illud,  
quod sanctitas exigit, nimirum amorem  
& objectum. Tu enim es amor infinitus,  
& purissimus Tuû, & simul es objectum  
infinitæ puritatis, in cuius amore consistit  
formalis sanctitas.

II. Tu es causa & fons sanctitatis, viæ  
& patriæ, hominum & Angelorum: omnis  
enim sanctitas à Te velut radius ab infinito  
puritatis & sanctitatis Sole emanat.

III. Tu es omnis sanctitatis objectum  
& mensura; cum enim in Te sit puritas in-  
finita, quò quis magis ad Te accedit, per  
cognitionem & amorem, eò sanctior est.  
Te enim cognoscere, te amare, tibi que



amore sincerissimo inhaerere, verissima sanctitas est.

*Dilectio.*

Domine Deus sanctissime, si sanctos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines tanto amore & honore prosequimur; quanto magis Te, à quo omnes hausere, quidquid in eis sanctimoniam refulsit?

Tu es omnis puritatis & sanctitatis causa, exemplar, idea, & Distributor; qui nos non potentiam, non sapientiam, non majestatis tuae celsitudinem imitari voluisti; sed sanctitatem; cum præcepisti: *Sancti estote, quoniam Ego Sanctus sum.* Levit. c. 21. Debet enim fontem sanctitatis, ministros habere sanctos: sanè si cœlestes illi spiritus, ab omni terrena concretione liberi, & cœlis ipsis mundiores, adhuc infinite distant ab ea puritate, quæ ministerio tuo congruit; quanto intervallo nos ab ea distamus, qui in cœno peccatorum volvitur, & bibimus sicut aquam, iniquitatem?

Quare, ô puritas immensa! suscita à terra inopes, & è stercore erige pauperes, labes absterge, tenebras illumina, affectus sanctifica, ignem tui amoris in nobis accende, ut in sanctitate & justitia serviamus Tibi omnibus diebus vitæ nostræ!



*Aspirationes.*

I. *Psallite Domino Sancti eius: & confite-  
mini memoria sanctitatis eius. Psal. 29.*

II. *Ignis sancte, quàm dulciter ardes, quàm  
secretè luces! Va iis, qui non ardent ex te! Va  
illis, qui non illuminantur ex te. S. August.  
solil. c. 34.*

III. *Pater sancte, sanctifica nos in veritate!  
Quia non est sanctus ut est Dominus; neque  
est alius extra Te. 1. Reg. 2.*

P A S S U S XIII.

Cognitio & Dilectio aliorum  
Attributorum Divinorum.

T E X T U S.

*Ex Ipso, per Ipsum, & in Ipso  
sunt omnia. Ad Rom. c. 11.*

*Cognitio.*

I. **D**omine Deus noster: in Te omnes  
perfectiones & virtutes modo emi-  
nentissimo & perfectissimo continentur.  
In Te enim 1. Est *Immensitas*; es enim ubi-  
que, & mille cœli & terræ capere Te ne-  
queunt. 2. In Te est *Immutabilitas*: nihil